ORATIO

De

FELICI SUMMORUM FOEDERATORUM EXPEDITIONE BELLICA ANNI P. C. N. MILLESIMI SEPTINGENTESIMI QVARTI,

in

ALMA NORICORUM ALTDORFINA

d. XXIX. *Novembr. Ejusd. A.*

publice recitata

a

GOTHOFREDO ENGELHARDO GEIGERO,

Norimb.

Literis HENRICI MEYERI, Univ. Typographi.

284

Digitized by Google

Digitized by Google

PROGRAMMA.

MAGNUS DANIEL OMEIS,

Comes Palat. Cæſar. & Moralium, Oratoriæ ac Poëtices Prof. Publ.

L. B.

S. P. D.

POëtæ tragici olim, cum explicare argumenti difficillimi exitum non poſſent, ex machina Deum oſtendebant e ſublimi, qvi commutatis repente rebus fabulæ finem imponeret. Sic in Oreſte Euripidis, Apollo mediis in tumultibus apparens, res turbatiſſimas ſubitò componit; indeqve ortum proverbium: Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς ἐπιφανείς, *Deus ex improviſo*, ſive *ex machina*, *apparens.* Qvos non ſolùm metus, verum etiam caſus & diras belli calamitates, anno ſuperiore, atqve hujus etiamnunc circa primordia, pertulerint Svevia, Franconia, ac multæ ad Danubium ſitæ urbes ac regiones, qvanqvam animus meminiſſe horret, dicendum tamen, ac fatendum, Viros etiam prudentiſſimos, qvi & de inſtantibus veriſſime judicare, & de futuris callidiſſime conjicere nôrunt, hæſiſſe, ac tragœdiæ hujus exitum, aut lætiorem ſaltem ſcenæ mutationem, proſpicere minime potuiſſe. Nemo

erat, qvi miſerrimæ Sveviæ, per cujus viſcera media hoſtes tam vicini qvam exteri rapinis, ferro, igne graſſabantur, jam inferias ac mortis carmen non caneret: nemo, qvi, poſt Vcalegontem proximum ardentem, eodem nos incendio perituros timidiſſima miſeratione non ingemiſceret. Adeo multas Deus alienatæ a nobis propter peccata noſtra voluntatis ſuæ ſignificationes dederat, ut non injuria metueremus, ne ille pœnas dudum promeritas a nobis eſſet repetiturus, tarditatemqve ſupplicii gravitate compenſaturus. Sed o bonitatem atqve clementiam perpetuo prædicandam! Apparuit afflictiſſimæ Sveviæ Deus ex machina; & atrociſſima, qvæ vicinis noſtrisqve terris incubuit, tempeſtas nubeculæ inſtar diſſipata eſt. Nos timidi vota faciebamus, ut copiæ Gallorum Bavaris auxilium laturæ, jamqve per ſylvam Martianam, Duce Tallardo, gradum accelerantes, in via ſaltem impedirentur, oſtentatisve armis repellerentur; aut ut ipſæ animo ſecum perpenderent, facile nonnunqvam iter eſſe in hoſticum, ſed revocare gradum difficile. Vt vero, facta ſine impedimento Gallorum cum ſociis conjunctione, Noſtrates, divinitus ſubmiſſa Britannorum ope ſuffulti, cum illis congrederentur, numeroqve & armis inferiores, fortuna ſuperiores, ingenti ſerisqve poſteris memorando prælio, decem & eo amplius millia hoſtium

cæde-

cæderent, totidem, unà cum ipſo Tallardo, pluriſmisqve ſupremis militum ductoribus atqve tribunis, caperent, reliqvas aciei turbatæ partes, univerſis exutas caſtris, in fugam conjicerent, tormentorum majorum octoginta, totidemqve vexilla & ſigna militaria, in noſtrorum poteſtatem venirent, utqve intra paucarum poſtea hebdomadarum ſpatium Campodunum, Memminga, Vindelicorum Auguſta & Vlma, urbes Sveviæ multò nobiliſſimæ, hoſticis præſidiis, ac Danubii pariter litora vinculis & compedibus ſuis liberarentur, Bavaria deniqve ſupplex Cæſaris Opt. Max. genibus affunderetur, ecqvis unqvam noſtrûm non dicam ſperare, ſed propemodum optare auſus eſt? Allucinamur omnino & peccamus, ſi aut triumphali Principum ac Ducum militarium (immortali qvidem laude digniſſimorum) dexteræ, aut humani ingenii conſiliis viribusqve, tot victorias & tantas rerum viciſſitudines adſcribimus. Soli, ſoli, inqvam, DEO æternæ debentur grates, qvi, exulceratiſſimis temporibus, velut e machina ſe oſtendit, atqve intolerabile a cervicibus noſtris jugum amovit, ſub cujus mole duo Germaniæ Circuli inclytiſſimi eodem impetu facile concidiſſent. Nec dubium eſt, qvin tot piorum hominum vota, preces, ſuſpiria, offenſi nobis Numinis aures animumqve tandem expugna-

286

verint. Pergamus modo, pergamus amplius cum Moſe piiſſimo manus noſtras in cœlum attollere, dum pro Imperii libertate ac tranqvillitate pugnat Auſtriacus IOSVA. IOSEPHVM intelligo, auguſtum potentiſſimumqve Romanorum Pannonumq; Regem, cujus præſentia auſpicatiſſima, ut eo glorioſior bellicæ anni hujus expeditioni finis imponeretur, Landavia altera nunc vice fortiſſime eſt expugnata. De qva iſtud memoratu omnino dignum, qvod, cum eam celebris ille machinarum bellicarum artifex & præfectus Gallicanus de. Vauban A. 1687 variis operibus ac munitionibus cinxiſſet, jamq; urbs hæc inſuperabile Alſatiæ propugnaculum ipſi videretur, portæ ejusdem inſcribi curaverit: HAEC NEMINI CEDET. Poſtqvam autem ante biennium, anno nimirum 1702, munimentum hoc firmiſſimum, menſe Septembri, poſt obſidionem oppidò memorabilem, certis conditionibus ceſſerat Cæſareanis, horumqve Imperatori ſummo IOSEPHO, divina qvaſi virgula non ſolùm deprehenſum eſt, in verbis iſtis, HAEC NEMINI CEDET, latitare numerum anni 1702; ſed & iſta pariter Eteoſticha eodem tempore ſunt concinnata: MAGNO CEDIT CAESARI. Item: TANDEM CESSIT CAESARI. Cumqve anno ſuperiore 1703 memorata Landavia, Duce Tallardo, iterum in Gallorum

rum

rum perveniſſet poteſtatem, hi inſolentiùs ingeminabant: NON NIsI MAGNO CEDIT GALLO. Item: SEMPER CEDET LILIIs. Nunc vero, qvando rurſum DEO favente, ac IOSEPHO Rege iterum præſente, famoſiſſimum hoc propugnaculum incredibili virtute expugnatum eſt, plaudere meritò poſſunt Summi Fœderati: BIs IAM CESSIT LEOPOLDO ET IOSEPHO! Item, qvod bona exaudiat hora: INTERRITA POSTHAC CEDET NEMINI.

His præludere placuit Orationi, qvam Minerva propitia conſcripſit, & circa meridianam craſtini primam, in Auditorio Theologico, publice recitabit Vir juvenis intaminata morum probitate, liberaliqve ingenio & eruditione commendatiſſimus, GOTHOFREDVS ENGELHARDVS GEIGER, Norimb. S. Theol. & Philoſ. Studioſus maxime induſtrius. Verba nempe faciet de *Felici anni hujus* CIↃ IↃCCIV *expeditione bellica Summorum Fœderatorum*, DEOqve non ſolum debitas aget gratias ob admirabile ac inexpectatum, qvod nobis præſtitit, auxilium, ſed & pro tranquillo chariſſimæ patriæ & Academiæ noſtræ impoſterum qvoqve ſtatu vota nuncupabit. Qvibus laude dignis Oratoris conatibus præſentia plauſuqve ſuo ut favere velint MAGNIFICVS VNIVERSITATIS RECTOR, VENERANDI AC CELEBERRIMI PATRES ACADEMICI, CIVES item STVDIOSI GENERE AC DOCTRINA FLORENTISSIMI, majorem in modum rogamus; imo ſine obteſtatione noſtra ultro religione officii ac pietatis excitati qvin freqventes conventuri ſint, nulli dubitamus. P.P. Altdorfi Nor. d. XXIIX. Novembr. A. CIↃ IↃ CC IV.

ORA-

ORATIO.

Magnifice Univerſitatis RECTOR,

Excellentiſſimi, Celeberrimiq; PATRES ACADEMICI, *Patroni ac Promotores Studiorum meorum omni honoris cultu devenerandi, ſuſpiciendi,*

Tuq; Nobilitate, Virtute ac Eruditione maxime conſpicua, clariſſimaq; reliquorum AUDITORUM *Concio!*

QUemadmodum hoc in terrarum orbe pleraque omnia mutationi aut interitui ſunt obnoxia; ita fortuna tam ſecunda, quam adverſa, ambiguis errat paſſibus,& manet in nullo certa tenaxque loco. Quem ſerena hodie blando intuetur vultu, cras hunc ab eodem avertet; quemque diu ſors iniqua preſſit, eum æquior mox eriget, inque ſtatum collocabit meliorem. Enimvero hæc non fiunt inevitabili cœci cujusdam fati neceſſitate, ſed ſapientiſſima Divini Numinis providentia ac directione. Jehovah enim eſt, qui occidit, & ad vitam revocat, qui percutit & ſanat, qui ad inferos detrudit, atque inde reducit. Id quod Pagani quoque agnoverunt ſapientiores; e quibus Plinius junior ſcribit aureo ſuo in Panegyrico: *Habet has vices conditio mortalium, ut adverſa ex ſecundis, ex adverſis ſecunda naſcantur. Occultat*

utro-

utrorumq; ſemina Deus, & plerumq; bonorum malorumq; cauſſa ſub diverſa ſpecie latent. Et Seneca Tragicus:

Quem dies vidit veniens ſuperbum,
hunc dies vidit fugiens jacentem.
Nemo confidat nimium ſecundis,
nemo deſperet meliora lapſus.
Res Deus noſtras celeri citatas
turbine verſat.

Hoc revera experti ſumus durante bello, quod ante biennium exarſit in vicinia noſtra, nec ſolum Sveviæ, ſed & Franconiæ, imo univerſæ Germaniæ tranquillitati libertatique exitium moliebatur. Verum alea ejus, ab initio oppido periculoſa, per bellicam anni hujus expeditionem plurimum eſt immutata, hoſtiumque furor fractus, eorumque conſilia ſunt converſa uno ac memorabili prælio, quod nulla conticeſcet ætas, nec ulla unquam delebit oblivio. Mirandæ omnino ſunt vices temporum, & memoria repetendi varii ac inexpectati rerum eventus; quos etſi nulla hominis ratio antea proſpexerat, cœleſtis tamen vis dubios diſtractosque curis animos noſtros erexit ac confirmavit. Dicam ergo nunc de Anni hujus, a Chriſto nato poſt ſeptingenteſimum quarti, feliciſſima Summorum Fœderatorum expeditione bellica, ac Svevia præſertim vicinis exteriſque hoſtibus liberata; DEOque debitas agam gratias, pro auxilio nobis lato præſentiſſimo; cujus ſolius munus ac beneficium eſt, quod funditus deleti non ſumus. Aliter enim ſi cecidiſſet alea, & adverſariorum, ſicut antea, conatibus porro ſi ſuppeditaſſet fortuna, quis patriam quoque noſtram, quis Academiam hanc & cætera, quæ chara amataque habemus, ſuperfutura nobis exiſtimare poſſet? Antequam vero ulterius procedam, piumque inſtitutum meum perſequar,

B Vos,

288

Vos, Auditores omnium Ordinum multo honoratiſſimi, majorem in modum rogo obſecroque, ut eo benevolentiæ affectu & favore, quo alios adhuc hac ex cathedra perorantes amplecti conſueviſtis, in me quoque propendere, & conatum meum æqui bonique conſulere ne dedignemini. Quod beneficium nunquam non animo meo trabali quaſi clavo fixurus, & ubique decentibus laudibus ſum proſecuturus.

COmæ rigent, pavor genas & labia mea occupat, ipſumque pectus trepidat, quando triſtiſſima fata & acerbiſſimas calamitates, quibus ſummus ac juſtiſſimus mundi hujus arbiter, graviſſimis atq; teterrimis mortalium flagitiis provocatus, per hoſtes præpotentes dulciſſimam noſtram Germaniam, cumprimis nobiliſſimam Sveviam, ſuperiore anno, & ſub hujus ad finem vergentis exordia, vexari paſſus eſt, animo remetior. Dici non poteſt, Auditores multo æſtimatiſſimi, quanti terrores frequenter nos perturbaverint, quot ſiniſtri nuncii ſtuporem nobis incuſſerint, Electorem Bavariæ, Regis Galliæ fœderatum, fines noſtros horrendo bello infeſtaturum eſſe, iterum iterumque percipientibus. Et hic terror non fuit panicus, neque fama illa inanis; confeſtim enim urbs Ulmenſis inteſtini belli initia perſenſit, cum improviſo captam ſe & vinculis conſtrictam ſpectaret. Quis noſtrûm hoc inopinate allato nuncio non in admirationem raptus? Quis, quæſo, tunc temporis non extimeſcere & horreſcere cœpit potentiam & calliditatem iſtam, potiſſimum cum & aliæ propinquæ peti dicerentur civitates? Eheu, quoties lamentabilis illa ac terribilis vox, Hannibal ante portas! circumſonabat auribus noſtris? Ac brevi quidem intervallo, poſt Vlmam captam & raptam, Campodunenſes & Memmingenſes

genſes Leonis Bavarici adventum tremuerunt, ejusque impetui cedere ſunt coacti. Hisce ſub poteſtatem redactis, reverſus hic eſt ad Danubium; ubi idem perſonabat clamor: Hannibal ante portas! cui etiam nimio perculſa terrore munimenta urbesque aliquot illas aperuerunt, imperiumque ipſius acceperunt. Neque vero, bruma jam imminente, quieſcebat Leo fremens ore cruento, ſed appropinquabat mœnibus clariſſimæ Auguſtæ, anguſtabatque eam, & gravi cingebat obſidione. Et quanquam hæc ſeſe maſcule defendebat, tormentorumque ictus hoſtilium fortiter excipiebat, validiſſimo tamen hoſti diutius reluctari, deſtituta auxilio ac deſerta non valuit; ſed per machinas dejectis vallis ac mœnibus ingemiſcens tandem ſuccubuit. Poſt hæc, bone DEUS! quibus angoribus & afflictionibus colluctata fuerit expugnata Vindelicorum Auguſta, tam notum eſt, quam quod notiſſimum. Jam verò ſi animo mecum reputo, quanto in pavore ac tremore nos verſati ſimus, poſt infelix illud prælium, quo præſtantiſſimæ copiæ Cæſareanæ ac Fœderatæ, quibus Comes a Styrum ſummo præerat imperio, ad Hochſtædtium ab Electore, ſociisque Gallis, inopinanter fuerunt circumventæ, captæ, diſſipatæ; ut jam Vlma, Campoduno, Memminga in poteſtatem redactis, Auguſta ſuccumbens ac multum deſolata, copiis noſtris fugatis, Nordlinga proximum Vealegonta ardentem cernente, preſſa jam Svevia, & tantum non oppreſſa videretur. Taceo nunc velitationes, hoſtium excurſiones, rapinas, incendia, aliaque mala e malo vicino orta, quibus etiam trepida tentabatur Franconia, & quorum metu ipſe hic Parnaſſus noſter percellebatur, cui quam plurimi Muſarum filii, tutiora petituri loca, triſte dicebant vale. Neque vero ad Rhenum fortuna melior partes noſtras reſpexit; ubi a Gallis, Duce Tallardo,

B 2 cele-

Digitized by Google

celeberrimum munimentum illud Landavia, improbo labore multisque inſultibus oppugnabatur. Et quanquam fama ac virtute illuſtriſſimus Comes de Frieſen, cui tuendum iſtud concredebatur, quam certiſſime de valido ſubſidio perſuaſus, vehementiſſimas incurſiones incredibili profligabat fortitudine; illud tamen, poſtquam copias auxiliares anxie deſideratas, fuſas fugatasq; perceperat, initis conditionibus tradere impulſus eſt. O itaq; triſtiſſima tempora! o acerbiſſima fata! En, Auditores, Martem ſævientem, ac nobis etiam extrema minitantem! Quemadmodum vero Sol nubibus diu obtectus, lætior poſtea eniteſcit; ac ver poſt longioris hiemis triſtitiam arridet gratius, & mare quietum poſt diuturnas ventorum ſeditiones amabilius: ita ſerum, exoptatum tamen, DEI auxilium nobis longe fuit jucundius. Silet nonnunquam Deus, ut nos loquamur, hoc eſt, ut ardentius eum invocemus, fortiusque imploremus. Permovit Cuſtos Iſraëlis, qui neque dormit, neque dormitat, glorioſiſſimam potentiſſimamque magnæ Britanniæ Règinam ANNAM, ut, Imperatore fortiſſimo Marleburgio, extrema paſſuris Sveviæ & Françoniæ validiſſimum mitteret auxilium. Adventantibus omnem præter expectationem copiis hisce, Svevia æqve ac Franconia partim lætitia exultabat, partim metu langueſcebat. Gaviſæ ſunt, ac ſperarunt, Danubium vinculis ſuis mox laxatum, aleamque belli mutatum iri; ſed nondum omnem extra metum poſitæ ſimul verebantur, ne, ſi ab hoſte tam virium magnitudine, quam ob recentes victorias, ſpe animisque inflato, infelici prælio cladem forſan paſſuræ forent, funditus ſint perituræ. Quod quidem facillime permittere potuiſſet DEVS, ſi ex merito populum ſuum, gravibus ac enormibus vitiis ipſum lædentem, plectere voluiſſet. Sed noluit hoc miſericors

& be-

& benigniſſimum Numen; noluit, inquam, afflictam & interitui proximam Sveviam, vicinamque Franconiam, ulterius torqueri & violari. Adventante itaque Britannico exercitu, & jam viribus cum Cæſareano aliorumq; Summorum Fœderatorum robore junctis, hoſtes antea animo confligendi cupidiſſimo pollentes, proh! quantum mutati, & audacibus animis quaſi ſpoliati deprehendebantur. Ex eo certe tempore repagulo ipſis divinitus objecto, graviter impegerunt; nec uſi ſunt amplius ea felicitate, qua ſuperiore anno, & hujus initio; ſed ſenſim animadverterunt, ſe, ſcena belli mox immutanda, ad ſupplicium & pœnas poſtulari. Nempe enim, mora nulla interjecta, Sereniſſimus Princeps *Ludovicus* Badenſis, Scipio ille Germanicus, &, *Marlebourgius*, Hercules Britannicus, montem ad Donaverdam, cui à *nolis* nomen, incredibili adoriebantur virtute, ob altitudinem quidem, copioſa hoſtium præſidia, aggereſque continuos, aditu multo difficillimum. Pugnarunt Germani leonum, Angli leopardorum inſtar, & per commilitonum ſuorum hoſtiumque cadavera montis cacumen conſcenderunt, Bavaroſque Gallis mixtos fortiſſime profligarunt, fugarunt, & cruentam quidem, ſed longe pulcherrimam victoriam reportarunt. Quo facto urbs proxima Donaverdá in poteſtatem Victorum devenit, atque ſimul patentiſſimus in ipſam Bavariam aditus eſt obtentus. Quia vero in vicinia, celebre illud munimentum Rainenſe, multum periculi dispalatis iterque facientibus militibus inferre poſſe videbatur, illud quamprimum obſidione cingere, pertinacique tormentorum vi vexare putabatur conſultum: ac licet collocata in eo præſidia cornua primum obſtinate obverterent, vindicibus tamen & victricibus Summorum Fœderatorum armis diu obſiſtere non valuerunt; ſed, ne gravius de illis ſumeretur

290

ſupplicium, certis conditionibus ſe dediderunt. Qui geminatæ victoriæ rumor cum Neoburgi & Ratisbonæ percrebuiſſet, præſidia Bavarica ibi locorum impoſita adeo vehementer ſunt commota, ut, fugam capeſſentibus ſimilia, urbes haſce reliquerint, ſeque cum Electoris exercitu conjunxerint. At quomodo tulit hanc jacturam graviſſimam Bavarus? Animo certe non æquo, ſed vindictæ cupido. Tantum enim abfuit, ut, Cæſareanis & Anglis in Bavariæ viſcera irrumpentibus, pacifica conſilia animo agitaverit, ut potius auxilia Gallicana, duce Tallardo, per ſylvam Martianam advolitantia, non minore expectaverit cupiditate, quam ægri vinum, balinea, fontes. Neque expectavit ſolum, ſed & in tempore obtinuit. Poſtquam vero arma ſua junxerunt Bavari & Galli, proh fidem Numinum! quanta inter eos exultatio, quanta lætitia, quæ congratulationes factæ? Nunc conſultabatur, quî res aggredienda, quo poſſint læti triumphare de Germanis, Anglis & Fœderatis; nunc deliberationes inſtituebantur de prælio cum iis committendo: utque gravior & acerbior noſtris infligeretur clades, profundis muniebant caſtra ſua obvallationibus, & locum occupabant altiorem, noſtriſque aditu minime opportunum, uliginibus ac paludibus circumdatum; ita, ut invadere hoſtes volentibus, non caſtra, non exercitus & cohortes, ſed munimentum aliquod firmiſſimum oppugnandum videretur. Hìc labore, hìc animis opus, Auditores; hìc Miltiades & Themiſtocles maximas deleturi copias requiruntur; qui etiam evax! reviviſcunt in Sereniſſimis & incredibili animi magnitudine Celſiſſimis belli Imperatoribus, Principe Sabaudiæ *Eugenio*, & Duce *Marlebourgenſi*, Heroibus incomparabilibus, quos hoſtes ipſi tremunt ac paveſcunt, omniſque admirabitur poſteritas, ob ſcientiam militarem, virtutem, auctoritatem deni-

denique & felicitatem conſummatiſſimam. Bini itaque hi Imperatores excellentiſſimi firmo decreverunt conſenſu, ut cum hoſte, ubicunque etiam hic ſua locaverit caſtra, prælio decertaretur; militumque ſuorum animos, curatis ante corporibus, incenderunt, etiam atque etiam cohortando, ut nunc, ſi unquam, Germanæ & Britannicæ fortitudinis ſpecimina ederent, & nominis utriusq; gloriam poſteris commendarent. Jam imminebat tertia menſis Auguſti decima, candido lapillo perpetim ſignanda, cujus primo diluculo Cæſareani, cæterique Summi Fœderati, ſupremum invocarunt Numen, ut grandibus auſis præſto eſſet, juſtamque cauſam potenter tueretur. Dextero cornu præerat Sereniſſimus Eugenius, lævum tuebatur fortiſſimus Marlebourgius; medium ducebant agmen Celſiſſimus Princeps hæreditarius Haſſo-Caſſellanus, & Princeps ab Anhalt-Deſſavienſis. Hoc ordine, maximos inter tormentorum fragores, hoſtem ſtrenue adoriebantur, foſſis quidem ac paludibus multis præmunitum. Res primùm a parte noſtra, plurimas ob difficultates, extremi erat periculi; jamque Imperatores Ductoresque laudatiſſimi in acie ubique conſpicui, &, incorrupto Ducis honore, gregariis mixti, erigere pavidos, incitare fatigatos, revocare cedentes, & ubi aliqua promovendi ſpes, impellere ac ſtimulare. Circa nonam antemeridianam cornu noſtrum lævum in hoſtile dextrum torrentis inſtar ſe effuderat, & pugnatum acerrime horis aliquot Marte ancipiti; donec a noſtratibus cedere coacti hoſtes, pagos & villas vallis & aggeribus ſuis incluſas, manu animoque jam deſperante, incenderunt. Cujus incendii ingentem fumum, (quem tamen ventus, nobis favens, omnem verſus hoſtium turmas propellebat) itemque flammas, fulgura & tonitrua tormentorum, quisquis conſpexit & audivit, Vulcani hic forum & officinam

Cyclo-

Cyclopum eſſe putavit; nec unquam vel Lemnon, vel Trinacriam tantis ignibus exarſiſſe credidit. Non aliam infernalis aulæ ſcenam eſſe juraſſes, quando ſuppliciis damnatorum vacat; ſævire inter ſe Eumenides, bacchari veſanam Megæram, inſanire feralem Alectum, Tiſiphonem accenſis facibus tumultuari; adhæc Ætnam & Veſuvium ab inferis arceſſere, quicquid cocti ſulphuris illic repererit. Ecquis verò ſimul horrendus clamor cœlum complet? qui ſunt, qui ſic ad ravim usq; clamitant? Eja, noſtrates hoſtium non terga modo invaſerunt, ac Electorem dextramque alam in fugam conjiciunt, ſed & lævam & omne agmen circumveniunt, nec jam amplius pugnam, ſed cædem faciunt. Tallardus in inſula quadam deprehenditur, capitur, filius ejus mortifere vulneratur; in acie ultra duodecim hoſtium millia interfecta, fauciata, Danubii gurgitibus abſorpta, totidemque, e quibus illuſtres quam plurimi Ductores ac tribuni Gallicani, armis ſuppliciter projectis, capta, octoginta tormenta graviora, nec pauciora ſigna militaria, Grammatophylacium, quod vocant, campeſtre, univerſa denique caſtra hoſtium erepta, direpta, atque ita pulcherrima, feliciſſima, non hominum, ſed DEI manu ac virtute, victoria obtenta eſt. Applaudamus, Auditores, his incredibili animi magnitudine & auxilio divino inſtructis Victoribus; exultemus de hac egregia, & maximis poſt hominum memoriam tropæis comparanda victoria. Domitus enim & coërcitus eſt ille potentiſſimus hoſtis, qui nobis interitum & varias calamitates minatus eſt; fracta eſt maximam partem illius vis, qui adhuc florentiſſimas urbes jugo ſuo ſubjecit; in fugam eſt verſus, quem antea nemo non fugiebat & metuebat; ille jam nunc ſtupet ac luget, qui aliis brevi antè luctum incuſſit & ſtuporem; ille nunc ſpoliatur, qui Sveviam & Franconiam

antea depeculatus eſt. Magna quidem hæc, ſed majora ſequuntur. Ingens enim præda, quam Leo Bavaricus ſuperiore anno fecit, per hanc a Noſtratibus reportatam victoriam, ipſi rurſus erepta eſt; Lauinga, Dillinga, aliæque vicinæ urbes atque caſtella illico recuperata, Campodunum, Memminga, Vindelicorum Auguſta, hoſtilibus præſidiis liberata, Vlma obſidione quidem cincta, ſedglorioſe mox expugnata, Danubius Gallicano ſanguine ſtagnans ac rubicundus, Bavarica vincula compedesque excuſſit, Svevia omnis lethifero e veterno quaſi expergiſcens extollit caput, quæque antea in luctum & ſqualorem demerſa erat, ineffabili erecta gaudio plaudit ac triumphat, quia *flebile principium melior fortuna ſecuta eſt.* Hactenus, Auditores, ſenſit hoſtis Dei ab Aquilone venientis arma & ſupplicia; nunc ipſe Deus ab Auſtro, juſtiſſimo ulciſcendi injurias auguſtiſſimæ domui ſuæ, & chariſſimæ Germaniæ, illatas excitatus ſtudio, ulterius hoſtem fugare & defatigare animum induxit, prudentiſſime arbitratus, multo glorioſius eſſe, victoriam proſequi, quam conſequi. Hoſtis jam de hujus adventu certior factus contremiſcere cœpit, & Rhenum velociſſime trajecit, quo minus vultum divini hujus Vltoris ſubiret, & admiſſæ licentiæ ac ſuperbiæ graviſſimam ſentiret pœnam; inſecutus eſt eum Auguſtus noſter JOSEPHVS, cum Carolo Quinto glorioſiſſimæ memoriæ, *Plus ultra* cogitans, avide expectantibus eum ibidem animoſiſſimis ſuis fidiſſimisque Alemannis, fortiſſimis & virtute illuſtribus Anglis ac Batavis, intrepidis & Martio ſpiritu pollentibus Pruſſis Danisque, quæ gentes omnes bellicoſiſſimæ, & ob antiquam fortitudinem audiunt multò nobiliſſimæ. Sed quoniam hoſtis tremefactus conſiſtere noluit, conſultius videbatur, firmiſſimum illud caſtellum Landaviam in obſidione tenere, illudque vi pertinaci

C ac

29

ac tormentorum exploſione petere, donec ad tradendum ſeſe impelleretur; quam per incertos certaminum eventus milites inſumere, & obſidionis tempus dimittere. Cœptum itaque eſt hoc caſtellum bonis avibus obſideri, exeunte unius menſis ſpatio poſt impetratam ad Höchſtædtium victoriam, die ſcil. decima tertia Septembris, ex quo tempore, usque ad deditionem, utrinq; incredibili virtute pugnatum eſt. Obſeſſi quidem violentas in Noſtros tentabant excurſiones; ſæpius autem, multis obtruncatis, ſunt profligati, ac retrocedere coacti. Et quoniam Landavia grande munimentum & admirabile opus, quod natum, non manu factum, cœlo delapſum, non induſtria mortalium conditum crederes, grandibus quoque opus erat hucusque machinis & validis tormentis, quæ conquaſſarent furente impetu obvallationes, & muros perfringerent vaſtiſſimos; ubi quidem, noſtris tormentorum extruentibus ſuggeſtus, & fodientibus foſſas, hoſtes non ceſſabant a vexandis laborantibus, ſed miſſis lapidibus & glandibus plumbeis frequenter eorum complures vulnerabant, enecabant; nec quidquam tamen inhibere poterant, quo minus pergeretur in operibus urbem cingentibus & ad anguſtias redigentibus. Cum autem in Bavaria relictæ Electoris copiæ circa hoc obſidionis tempus ſeſe movere, & unam itemque alteram licentiam patrare denuo auſæ eſſent, confeſtim legiones aliquot Potentiſſimus JOSEPHVS noſter ablegavit, quæ in Bavariam irrumperent, & temerariis hoſtium conatibus reſiſterent. Hæ quum adventaſſent, ſine mora excellentiſſimi Comitis de Herbeville copiis ſeſe adjunxerunt, & unitis viribus Straubingam oppugnaverunt; quæ etiam, licet primo obſtinatam ſe geſſerit, dejectis jam ex parte mœnibus ſeſe ſubmiſit, hac ſimul conditione, ut Paſſavium ſuperiore anno ereptum, redderetur

Cæſa-

Cæſari, omnisque præterea Bavaria bellare deſiſteret, nec non munitiores urbes & caſtella Cæſareanis firmarentur præſidiis. Interea vero perfectis ſenſim ad Landavium altioribus ſuggeſtibus, Noſtrates in obſeſſos aſſidua detonuerunt tormentorum exploſione, jamque non valla tantum exteriora, ſed & urbis muros magnam partem dejecerunt, ita ut ad faciendum inſultum violentiſſimum apparata jam fuerint omnia, ſed Laubanius, defenſor hujus munimenti huc usque contumaciſſimus, ultima pati nolens, paucos ante dies vexilla extulit candida, deditionis ſigna; atque adeo locus hic munitiſſimus certis conditionibus iterum jam ceſſit LEOPOLDO ac JOSEPHO feliciter, feliciter! feliciter! Verum enim vero nondum ſatis victoriarum, Auditores maxima lætitia perfuſi, nondum omnia recenſui omnipotentis DEI auxilia. Terra non ſolum, ſed & mari vicimus; domi non ſolum, ſed & foris hoſtis arma noſtra ſenſit. Nam Numinis clementiſſimi providentia adeo felices ſucceſſus nobis ſuppeditare promta fuit, ut velut torrente quodam fortunæ Fœderati rapti, nusquam non monumenta Victoriarum ſuarum fixerint, dum & mari & terra ſuperiores diſceſſerunt. Claſſis enim quoque Anglo-Batava, quæ potentiſſimum Hiſpaniarum Regem CAROLUM III. in Portugalliam navigantem comitabatur, illum in freto Gaditano ſitum maxime egregium & opportuniſſimum portum Gibraltariam cepit, quo fretum illud Herculeum tueri, omnemque aditum in Oceanum Atlanticum, & ex hoc in mare mediterraneum, intercludere poſſunt Summi Fœderati. De hoc incomparabili expugnato munimento maritimo, quod ob antiquitatem ſuam oppido eſt illuſtre, uſuque ſaluberrimum, nos merito cum feliciſſimis Victoribus gloriamur.

mur. Ad urbem vero ipſam quod attinet, eſt ea munitiſſima, ac firmisſimis circumdata vallis ac mœnibus, impoſita monti Calpe, jam ab Hercule omnis ætatis ſtupendo miraculo condi & ædificari cœpta, eaque una columnarum ab ipſo hoc fortitudinis monſtro poſitarum haberi ſolet. Hodie verſus Oceanum centum magnis eſt prædita tormentis, & terram verſus duos meatus habet usque adeo arctos & anguſtos, ut viri quinquaginta facili negotio oppugnantibus mille reſiſtere, ſeque adverſus hos maſcule defendere poſſint. Sane optimam occaſionem nacti ſunt Angli atque Batavi hoc in portu, non ſolum commercia eo tutius & frequentius tractandi, ſed & in ipſam Hiſpaniam ulterius irruendi, & alias expugnandi urbes ac propugnacula. Nunc etiam juvat aliquo modo recenſere, quo pacto hic inſignis portus ſuperatus ſit. Nempe etiam Claſſis fœderata communi ſuffragio decrevit illum adoriri, & periclitari, quid valeant humeri. Contulit igitur ſe in ſinum quendam, Sereniſſimumque Haſſo-Darmſtadienſem ablegavit unà cum aliquot centum convectoribus, ut commeatus prohiberent; claſſis vero ipſa poſtulavit, ut Gibraltaria Potentiſſimo Carolo ſe traderet; ſed cum præfectus loci hoc renueret, vicinius claſſis fœderata appropinquabat, urbemque vehementi impetu aſſidue vexabat; qua ferocia plurimæ obſeſſorum machinæ corrumpebantur, usque adeo, ut Noſtrates ingens propugnaculum quoddam verſus meridiem ſuperarent. Hinc cum rurſus ad ſui deditionem moneretur, ob graviora declinanda pericula, die quarta poſt oppugnationem, certis conditionibus ſeſe ſubmiſit; cui illico fortiſſimus Princeps Haſſo-Darmſtadienſis cum validiſſimo imponebatur præſidio. Hac expugnata urbe

Fœde-

Fœderati ulterius pergebant, & in mari mediterraneo navigantem Gallorum claſſem inveſtigabant, quæ mox etiam aſpectum ipſorum ſubiit; qua viſa, incomparabilis iſte & ob multas pugnas navales fama celeberrimus archithalaſſus Roockius eam aggrediendam ſuaſit, quo eo citius, ſi nunc quoque Summi Fœderati uterentur prælio ſecundo, Ludovici Galliarum Regis maritimum robur atterere, alasque ſemper majora concupiſcenti & altius evolare cupienti Gallo incidere quirent. Enimvero horrendum dictu, quam cruenta & formidabilis hæc fuerit congreſſio. Nam animoſiſſime fortiſſimeque utrinque pugnabatur, ac plurimo labore & ſudore, ſudore autem? immo vero ſanquine conſtabat hæc pugna tam Noſtratibus, quam hoſtibus. Et quia ſemel iterumque diſcedebant prælio ancipiti, ultra triduum hæc naumachia ſeſe extendebat. Qua de re etiam fiebat, ut jactabundi Galli hinc & inde divulgarent, ſe fudiſſe prælio ſecundo Anglos ac Batavos, eorumque claſſem prorſus diſſipaſſe ac fugaſſe. Sed nugæ, gerræque Siculæ! Noſtri enim, ipſo cœlo favente, jam ex labore laſſos fugæque attentos Gallos iterum ſunt aggreſſi, illorumque naves vento propulſas vehementiori ac perpetuo tormentorum impetu, & graſſante ignis pernicie ſunt inſecuti; quas etiam miſere lacerabant, perforabant & conquaſſabant, usque adeo, ut navium nonnullæ, acceptis rimis nulla arte reſarciendis, mergerentur, ſuisq; cum vectoribus interirent; aliæ, quibus fata aliam deſtinabant calamitatem, pulvere nitrato incenderentur, & ea ipſa navis, quæ in natantia Anglorum caſtra pallidæ mortis nuncium globum projecerat, mutuo accepto, fati ſui cauſam admitteret. Hac blandioris cœli adſpirante aura, Anglicani aliquot Gallorum mil-

C 3 lia

29

lia ceciderunt, multas eorum naves exuſſerunt, & ceperunt, cæteris vel fuga, vel noſtrorum beneficio & mera gratia elapſis. Quæ omnes protinus cum ſuo Prætore portum Telonienſem petebant, quo quaſſatæ reficerentur, aliæ, qua fieri poterit celeritate, conſtruerentur. Fœderati vero Marte ſuperiores domum diſceſſerunt, læta nova ipſimet relaturi. Gaudete itaque, Auditores, exultate & jubilate, DEVS enim nobis hæc otia fecit; DEVS nobis has victorias largitus eſt. Profecto hoc de gaudio ſilere neſcit, qui patriæ bonis & malis, ſecundis & adverſis, ſurgit caditque. Eja omnis nunc Germania, cumprimis Svevia & Franconia, tripudiat, ipſaque magna Britannia & Belgium mira perfunduntur lætitia. Nunc ubique DEO, victoriarum Datori, ſolvuntur & aguntur gratiæ, quod clementiſſime ſteterit a parte afflictæ & preſſæ Germaniæ, juſtamque defendentium cauſſam; ſuperbum vero hoſtem tam graviter caſtigare voluerit. Jam plurimis in urbibus ac provinciis, præ ingenti gaudio, tormenta ſunt exploſa, campanarum ac tympanorum ſonitus auditi; jam ubique adhuc inſtrumenta lætitiam excitantia pulſantur & plectuntur; quilibet dulciſſimos modulatur hymnos ac ſolennia carmina; noctes accenſis funalibus ac miſſilium ignium jocis in diem vertuntur; multis in locis aurei & argentei nummi hanc & illam victoriam cum Imperatoribus ſuis Sereniſſimis repræſentantes cuduntur, ſparguntur, leguntur. O ineffabilem lætitiam! o ſtupendum Numinis altiſſimi auxilium! Celebremus itaque, Auditores, celebremus hanc mirificam DEI potentiam, quæ quam maxime admirabiliter ſeſe exhibuit. Hæc enim ſi admiranda non ſunt, profecto neſcio, quid pectora mortalium poſſit movere & afficere. Puto ego,

quid?

quid? quod affirmare auſim, hæc omnia, quæ modo audivimus, maximis unquam obtentis victoriis poſſe comparari; eaque poſteritatem omnem eſſe decantaturam, atque æternitatem ipſam intuituram. Quapropter, Jehovah potentiſſime, magnifica eſt dextera tua robore; dextera enim tua confregit hoſtem, & magnitudine excellentiæ tuæ deſtruxiſti conſurgentes contra te; emiſiſti excandeſcentiam tuam, quæ comedit hoſtes, ſicut ſtipulam. Dixit inimicus: perſequar eos, & aſſequar, dividam ſpolium, implebitur eis anima mea, nudabo gladium meum, & manus mea eos expellet. Sed ſpiraſti vento tuo, Jehovah, obruit hoſtes mare, ſubmerſi ſunt ſicut plumbum in aquas. Inſecutus quidem eſt hoſtis Noſtros, ſed non eſt aſſecutus. Venit ille quidem, vidit etiam, ſed non vicit. Quis itaque ſicut Tu, o DEVS? Quis ſicut tu magnificus ſanctitate? Quis ſicut tu venerandus laudibus, faciensque mirabilia. Tibi grates debentur & gloria in ſempiterna ſecula! Vos vero o male feriati homines & profana pectora, nolite putare, jam omnem tempeſtatem & fluctus turgidos adverſæ fortunæ eſſe ſedatos ac poſitos, & nos, hoſte nunc fugato & coërcito, ab omnibus infortunii & periculorum telis inpoſterum fore immunes; nolite putare, nunc cuilibet adhuc ob calamitoſa & exulcerata tempora intermiſſas voluptates & illicita gaudia licere repetere, nobisq; eſſe permiſſum vacare peccatis, gulæque indulgere & cuticulam curare. Minime! Nam DEVS, qui nobis has victorias conceſſit, facillime peccatis noſtris denuo provocatus, hoſtes iterum corroborare poteſt, ut multo gravioribus nos afficiant calamitatibus, ac ſuperiore tempore factum eſt. Quo minus autem hoc fiat, nos omnes ad unum, Auditores, aſſiduis precibus, & calidis

dis ſuſpiriis DEVM invocemus, ut ſuam nobis concedat gratiam, quo victoriis hisce non abutamu rad inſolentiam, & nimiam vivendi ſecuritatem; ſed ut recte iis utamur, ad amplificandam Divini Nominis gloriam, vitæque noſtræ emendationem. Conſervet is quoque chariſſimam Patriam noſtram, ac tueatur porro Academiam hancce percelebrem, ut pupillam oculi ſui, in eaque veram pietatem, ac ſapientiam perpetim florere jubeat; ſimulque faxit, ut brevi in ligones contundantur haſtæ, & enſes rigidi conflentur in falces, nosq; alat iterum ac recreet pax firma & conſtans,

-- -- -- pax optima rerum,
quas homini noviſſe datum eſt, pax una triumphis
innumeris potior.

FIAT, FIAT!